DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, *DE* HYDROPHOBIA.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris
D. PHILIPPI REINHARDI VITRIARII,
J.U.D. ejuſdemque Facultatis Profeſſoris Ordinarii.
NECNON
Ampliſſimi Senatus Academici unanimi Conſenſu,
& Almæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summiſque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis
ritè & legitimè conſequendis,
Publico examini ſubjicit
PETRUS OPPERDOES, HORNA WESTFR.
Ad diem 30 *Iunij, horâ locoque ſolitis.*



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typographum. MDCXCIII.

17
16

Graviſſimis, Spectatiſſimiſque VIRIS,

D. SIMONI OPPERDOES, Mercatori inter Hornanos ſolertiſſimo, fratri ſuo dilectiſſimo, omni amore, ad aras uſque proſequendo.

D. SIMONI JONGEMAETS, M. Doct. Practico feliciſſimo, Reipubl. Hornanæ Conſuli graviſſimo, Cognato ſuo, omni affectu & reverentiâ ſemper colendo, honorando.

UT ET.

Spectatiſſimo, Acutiſſimo, Integerrimoque VIRO,

D. JOHANNI BROEN, M. Doct. & Practico Expertiſſimo, fautori, ac amico meo ob innumera in me collata beneficia, ſemper colendo.

NEC NON

Doctiſſimo, & Spectatiſſimo VIRO,

D. WILHELMO SPYCK, M. Doct. apud Leydenſes Practico prudentiſſimo, amico ſuo plurimum honorando.

Hanc Diſputationem Inauguralem unà cum ſe ipſo, in debitæ gratitudinis ſignum offert

PETRUS OPPERDOES,

Auctor.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS.
DE
HYDROPHOBIA.

PROOEMIUM.

Eleganter Divus Senex in Epiſtola quadam ad Damagetum; Totus homo ab ipſo ortu morbus eſt: *quot enim & quantis miſeriis ac morbis machina ejus obnoxia ſit, abundè ſatis quotidiana teſtatur experientia, prætereo nunc innumera veterum & recentiorum volumina, nam tantus affectuum reperitur numerus, ut diu dubius hæſerim, qualem pro Lemmate meo inaugurali eligerem; tandem ad Hydrophobiam (affectum ſane ſtupendum imo & explicatu arduum, tam propter ſymptomata ejus ab-*

ſtruſiſſima, quam difficultatem Curationis) *me contuli pro ingenii modulo, explicandam. Si ſingulis non ſatisfecero, equidem ego id non Curavero, impoſſibilium enim* (*ut ajunt Iure-Conſulti*) *nulla eſt obligatio, nec profecto hanc artem ipſe calluit Iupiter.*

§. I.

Ut methodum uſu receptam, ac à multis viris doctis nunquam non approbatam obſervem, & ordinis gratia, ne à communi via, in Medicorum Scholis uſitatâ, deviare videar, initium expediam à vocis Etymologia: Hydrophobiam igitur derivatam volunt ἀπὸ τ' ὕδατος, Aqua & φοβεῖν timere, metus enim aquæ & liquidorum conſtituit hujus affectus differentiam ſpecificam. Sic igitur nominis explicatione præmiſſa, tanquam neceſſaria & utili, reliquum eſt ut ad ipſam morbi definitionem me conferam, ne in limine Diſputationis meæ nimis prolixus ſim, & bonum otium inutiliter teram.

§. II.

Deſcribitur Hydrophobia quod ſit ferox delirium cum metu liquidorum rerumque fulgentium, febri acuta continua, reſpiratione & deglutitione difficili conjunctum, ſummum vitæ diſcrimen inferens.

§. III.

Diſtinguitur hic affectus à mania & aliis affectibus mediante peculiari illa circumſtantia; quod metus liquidorum & rerum fulgentium hic ſemper adſit, quamvis alii referant, metum hunc non eſſe communem omnibus aut ſemper obtinere, inter quos eſt *Salius*, qui obſervavit, vel ex propria eorum confeſſione audivit, eos liquida deſideraſſe quidem, verum aſſumptionem metuiſſe, quatenus inde notabile obſervabant incommodum, quicquid igitur ſit, an metuant aſpectum liquidorum, an aſſumptionem? tamen adeſſe metum certiſſimum eſt.

§. IV.

Symptomata ergo Hydrophobiæ, quæ utplurimum, rabidi canis morſum ſequuntur, præter dolorem in loco demorſo concomitantia varia ſunt, non tamen omnia & ſingula in uno eodem-

que

que ſubjecto, aut ſaltem non ubique eâdem cum vehementia, alii citius, alii tardius in rabiem hanc aguntur, alii poſt paucos dies, nempe poſt quadraginta ut habet *Joël*, alii demum poſt longum temporis tractum veneni effectum percipiunt, ubi nihil periculi metuitur, & vulnus diu fuit conſolidatum, ſic quindecim poſt menſes *Stalpart vander Wiel*, poſt ſeptem annos *Abel Roſcius in Epiſtola ad Fabrit. Hildanum*, quæ hiſtoria ſane rara eſt & obſervatu digna, poſt curationem enim ſeptem abinde annis iterum invadebat, ſed totam hiſtoriam hic apponere non placuit, curioſos enim ad *Hildanum* ipſum dimittimus, duodecim habet *Avicenna*, imo per quadraginta & plures latitaſſe annos refert *Alzabaravius*, tunc (mirandum ſane) ſine ulla evidenti cauſa ſolito ſubtriſtior efficitur morſum paſſus, & paulo poſt in fixas & melancholicas incidit cogitationes, tempore nocturno de canum ferocium invaſione ſomniat, ſomni perturbati ſunt aut vigiliæ continuæ, inquietudo adeſt & corporis jactitatio, præcordiorum vellicatio, liquidorum & rerum ſplendentium abominatio, tandem accreſcente melancholica colluvie homines fugit, & ſecum ſolus murmurat, his ſæpe accedit torvus vultus, dentium ſtridor, anguſtia faucium, emaciatio corporis, etiam febris & ardor maximus, ſudores & ſitis adſunt, oculorum & faciei rubor, nunc intenſus nunc remittens, hæret interdum circa os ſpuma, & tandem præ rabie domeſticos non agnoſcens, eos quandoque dentibus apprehendere tentat.

V.

Ratio autem cur venenum hoc per morſum vel alio modo inflictum ſæpe tamdiu lateat, & in parte aliqua hæreat hæc eſt veroſimilis, quod fibrillæ quædam carnoſæ & membranoſæ per morſum fuere diſruptæ, quæ dum reſiliunt in cincinnos faciunt obſtructionem tubulorum circa latera vulneris, adeoque impediunt, quo minus venenum hocce ad ſanguinem deferri poſſit, ſed facile latere in tubulis his obſtructis, donec ex determinata cauſa externa vel interna fortuita, fermentatio in illo producatur, tum enim propter majorem acquiſitum motum vi carceres ſuos diffringit, & cum humoribus circulantibus derivatur ad ſanguinem, & quidni venenum hoc æque per aliquod tempus latere poſſet, ac animalis iſtius Tarantulæ, aut luis venereæ, ſed quoſdam celerius, quoſdam tardius enecat, ut præcedenti paragrapho

 etiam

etiam dixi, quod dependet tam ex diverſa conſtitutione particularum venenum illud componentium; quam ex diverſitate partium tam ſolidarum quam fluidarum patientis, vel, quod idem eſt, vel ex violentia vel imbecillitate agentis, vel à fortitudine vel imbecillitate patientis: ratione agentis, aliquando idem venenum cernitur modo actionem ſuam citiſſime, modo longo tempore edere, ex ejuſdem violentia majore vel minore, imo clare id conſpicitur in veneno ſerpentum, pro temporis anni diverſitate & mutatione, hyeme enim venenum non æque viget ac æſtate, nec nec tam cito penetrat, & verſus interiora vergit, aut tam præſenter enecat; ratione patientis dantur exempla eorum qui eodem aſſumpto veneno, diverſis tamen temporibus fatis ceſſerunt; nam imbecillia corpora citius; fortia tardius, veneno extinguuntur, ſi autem ſtatim, ut ſæpe contingit, ſymptomata invadant, ſignum eſt, venenum hoc, aut mox ſanguini mixtum fuiſſe, aut per vaſa lymphatica ad maſſam ſanguineam eſſe delatum.

§. VI.

Partes affectæ hic ſunt variæ, primo, nempe cerebrum quod ex aquæ, & omnium liquidorum metu, inſomniis & furore clarum eſt, ſecundo brachium vel pes vel aliqua alia pars à cane rabido commorſa, quod ex dolore & vulnere innoteſcit, tertio afficiuntur etiam fauces ratione muſculorum laryngis & pharyngis, ut patet ex difficultate deglutiendi & reſpirandi, deinde maſſa ſanguinea & humores, imo totum fere corpus, quod febris, pulſus concitatus, ſudor, & alvus adſtricta clare demonſtrant.

§. VII.

Sed quoniam morſus canis rabidi adeo periculoſus, contaminoſus & miſerandus eſt, non incongruum me facturum puto, ſi ſymptomata in canibus rabidis ſæpe præſentia, (ut eo melius caveri poſſent) antequam ad cauſas transgrediar, enarrem: canes enim utplurimum hoc affectu afficiuntur, licet etiam multa alia animalia, ut lupi, ſues, ſimiæ, imo gallinæ & feles, quod plurimi autores confirmant, ut *Ariſtoteles lib. 8. de Hiſt. animalium cap. 22. & 24. Cælius Aurelianus* & alii, idem etiam Hiſtoriis evidentibus præſtat *Amatus Luſitanus centur. 7. curat. 66. fol. m.* 195. verba Hiſtoriæ hujus ſic habe, *Xaures mercator Theſſalonicenſis, aliique ejus domeſtici quatuor maſculi & fæminæ, uno eodemque die à fele dentibus unguibuſque ſunt commorſi, laniat, qui ſimul brevi inde*

ſa-

ſæviſſimis ſymptomatibus correpti ſuum obiere diem, idem & ſcholio ad dictam Hiſtoriam; quum hæc tracto, ait, memoria occurrit Epitaphium *à me olim Romæ ſepulchro miſerandi cujuſdam Hiſpani affixum, ſculptumque viſum qui è felis morſu obiit*, & ita ſe habet.

Hoſpes ecce novum mortis genus, improba felis
Dum trahitur digitum mordet, & intereo.

Tale exemplum de fele etiam habet *Fabritius Hildanus obſ. Chirurgic. cent. I. obſ.86. fol.m. 62.* Sed hæc per parentheſin quaſi dicta ſunto, ſigna igitur & indicia ex quibus canem rabidum eſſe cognoſci poteſt præcipua hæc ſunt, cibum & potum averſantur, ſitis urgens attamen adeſt, auribus & cauda demiſſis ingrediuntur, & vagabundi huc illuc diſcurrunt, vocem amittunt aut raucam edunt, anheloſi ſunt, & linguam ex ore ſpumanti propendentem gerunt, oculis torvis & rutilantibus homines intuentur, dominos non agnoſcunt & in ignotos ac familiares irruunt, & mordent.

§. VIII.

Contingit vero nonnunquam ut antequam hæc enumerata in cane appareant ſigna, ipſum jam tamen rabie teneri, & poſſe hominibus pecudibuſque pernicioſum ſane inferre morſum, tale exemplum habet prælaudatus *Franciſcus Joel pag. m.* 143. quod eveniſſe fertur, longe clariſſimo & excellentiſſimo Juris-Conſulto Baldo, *qui* (ſic enim propemodum verba ejus ſonant) *ludens cum catulo quem in delitiis habebat, morſus eſt leviſſimo vulnuſculo, in labio inferiori, quod hic Juris-Conſultus cum ignoraret catulum rabiem concepiſſe, vulnuſculum contemſit, hoc vero altero die perſanatum fuit, ſed quadrageſimo à morſu die in Hydrophobiam ſive aquæ timorem incidit, ac deinde miſerabili morte extinctus eſt.*

§. IX.

Idcirco præmonere illos volumus, qui commordentur præſertim quibus æſtate media & æſtuante Sirio id contingit, ut rite explorent & quidem ſtatim poſt acceptam cladem, utrum canis fuerit rabie infectus vel non, ne periculum ſit in mora, ſi vero in cane ſupradicta ſigna non appareant, tunc ſequentibus modis ut referunt autores, eorum infectio explorari poterit, nempe Cataplaſma ex nucleis nucum juglandum contuſis confectum, ſufficienti tempore ſive per noctem, ſuper vulnus à Cane rabido inflictum relinquatur, & illud ipſum mane pullis gallinaceis objiciatur, ſi enim vulnus fuerit venenatum perit gallina, & canis

fuit

ſuit rabioſus, ſi vero non fuerit nihil inde mali perſentit, *Rhaſes & Avicenna* Princeps, uterque Medicus, fruſtulum panis vulneri affricatum & ſanguine emanante infectum alii cani famelico devorandum objici jubent, ſi enim vulnus à cane rabido fuerit illatum, oblatum aufugiet, imo ne quidem olfaceret, quem alias avidè ſtatim devoraret.

§. X.

Hiſce ita præmiſſis, proximum eſt ut hujus morbi cauſas inquiramus, verùm antequam eo prolabatur noſtra diſſertatio, non inconſultum fore duximus paucis (brevitati enim ſtudemus) in anteceſſum explicare, quomodo animal primo rabioſum factum ſit, & quo anni tempore præcipue huic rabiei obnoxii ſint: malum hocce igitur deduco, à ſanguine craſſiore & acriore, ſeu fomite quodam, qui in parte aliqua ſolida collectus diu hæſit, ſic enim mediante rarefactione & fermentatione tractu temporis, carceres ſuos diffringit, & ex latibulo ſuo ope vaſorum lymphaticorum ad ſanguinem pervenit, cum cujus particulis & poris cum non conveniat, diverſos diverſis in animalibus producit effectus, nam juxta *Hippocratem* conſtitutio animalium variat, tam ratione partium ſolidarum, quam fluidarum, & corpus à corpore, natura à natura, nutrimentum à nutrimento differt, nec omnia omnibus, æque conferunt aut nociva ſunt, ſic hic fomes, igitur in brutis animantibus producere poteſt Hydrophobiam, in hominibus vero alios affectus, ut in hoc homine Epilepſiam, in illo febrim quartanam (quas putem noniſi gradu differre) in his iterum maniam, variolas &c. Sic videmus ab uno & eodem vino quoſdam triſtes, hilares vel lætos, alios feroces fieri pro diverſitate enim ut antea jam dixi conſtitutionis partium tam ſolidarum quam fluidarum in diverſis hominibus id obtingit; licet autem quovis anni tempore rabies induci poſſit, magis id tamen fit circa notabiles tempeſtatum & anni mutationes, quando novus ad noſtram tellurem devolvitur æther præſertim quidem ſæviente cane & vehementiſſimis æſtibus, pariter ac vigente bruma, dum aër inclemens valdè eſt.

§. XI.

Sed Cibum potumve corruptum tanquam cauſas externas, cadavera, item hominum peſte, rabie, vel ſimili modo demortuorum, venenis interfectorum, aquas fætidas, venenoſas & ſtagnantes,

gnantes, ſanguinem quandoque menſtruum, multum poſſe, atque materiæ tali venenatæ anſam dare, curioſi Autores teſtantur; & *Salium* inveniſſe ſcribitur omnes fere canes rabidos factos, eſu cadaverum, & carnium putridarum, & ſimilium rerum abhorrendarum.

§. XII.

Sed è diverticulo in viam, ne L. B. moleſtiam creemus, cauſas jam eruere oportet: Hydrophobiæ igitur cauſa proxima dici poteſt duplex, ratione partis affectæ duplicis primariæ: nempe in cerebro eſt ſpirituum craſſiorum & acriorum vehementiſſimus motus, in faucibus autem eſt inflammatio muſculorum laryngis & pharyngis; unde ſequitur, quod à prima cauſa oriatur ferox delirium, cum aquæ metu, dolore capitis acerbo &c. à ſecundo vero difficultas deglutiendi & reſpirandi. Cauſa Antecedens hujus affectus nulla fere eſt, nam hominem cætera ſanum invadit, niſi eam, ponas eſſe ſanguinem & ſpiritus animales ad vehementiſſimum, & perturbatum motum concitatos, ſic igitur cauſa antecedens & proxima non multum differunt. Cauſam Procatarcticam conſtituit venenum illud, ſive ſaliva canis rabidi per attactum aut morſum communicata. Acriter vero diſputatur inter doctos an à ſolo attactu oriri poſſit, ſed hoc affirmant experientia & autores adeo multi, ut extra omnem dubitationis aleam jam ſit poſitum, inter hos *Galenus 6. de loc. affect. cap. 5. Brabus lib. de Hydrophob.* contra *Fracaſtorium*, *Sennertus*, *Hildanus* & alii; nec abſonum hoc videri poteſt, nam particulæ ex animali rabido emanantes, cum figuram habeant valde conſtantem, & celerrime moveantur, non poſſunt non poris tubulis atque canalibus ſeſe inſinuare, & non ſecus ac alia fermenta, exigua ſui quantitate, primo humores ad vehementem motum concitare, deinde in ſui naturam tranſmutare, ſic enim per venas ad cor, hinc ad cerebrum & reliquum corpus deferuntur.

§. XIII.

Cauſis jam poſitis, videamus, an ex his omnia poſſimus explicare ſymptomata, vel ſaltem potiora quædam, quæ ordinario adſunt, ne nimis extendatur noſtra diſputatio: maximi momenti igitur ſunt hæc ſequentia, triſtitia continua poſt morſum, delirium, furor, febris, ardor, aquæ metus &c.

§. XIV.

§. XIV.

Triſtitiam igitur iſtam poſt morſum oriri poſſe dicimus, quia venenum illud, ſive ſalivæ iſtius particulæ ad ſanguinem delatæ, maſſam ſanguineam & humores ita incraſſant, & terreſtres auſteros reddunt, ut ex iis ſuppeditentur ſpirit. animal. ſolito craſſiores, & ad motum tardiores, qui cum tarde influant verſus veſtigia cerebro impreſſa, tarde & languidè menti repreſentant objectorum imagines, de quibus mens cum tarde judicet, homo dicitur triſtis & melancholicus, hinc cælo nebuloſo atque pluvioſo, & à coloribus nigris triſtes reddimur, quoniam radii ſolares tam vivide verſus oculos non reflectuntur, adeoque ſpiritib. non tantus motus communicatur, quam à fulgentibus.

§. XV.

Melancholia ſive triſtitia iſta continuante, aut ſi à cauſa quadam externa, ſive fortuita, ſanguis & humores iſti craſſi ad tantum concitentur motum, ut ſpirit. animal. inæqualiter (id eſt nunc craſſiores nunc ſubtiliores) ex poris arteriarum plexus choroidei expellantur, & inæqualiter & confuſè influant in veſtigia cerebro impreſſa, tunc confuſè menti repreſentantur objecta, unde tollitur æquilibrium ſenſorii communis & ſpirit. animal. & judicium mentis conſuetum depravatur, nam cum mens ſimul & ſemel de omnibus iſtis objectis judicium ferre nequeat, dicitur delirare.

§. XVI.

Furorem quod attinet, in eo ſpirituum motum perturbatiſſimum eſſe certiſſimum eſt, unde primo, ſequitur eos valde vehementer & celeriter latifundia muſculorum replere & diſtendere, ut maximum eorum ſit robur, ſecundo, vim tantam fibrillis cerebri & meningum inferri, ut periculum ruptionis incurrant vel actualiter rumpantur, unde mens dolorem vehementiſſimum percipiens, malum avertere conatur, violentâ ſpirituum animalium ad muſculos determinatione, horumque valida contractione, unde exoritur ferocia: Simile quid videmus in aliis hominibus tempore dolorum atrocium, nec non in ebriis.

§. XVII.

Febris quamvis ſemper non adſit eadem cum vehementia, adeſſe tamen eam revera teſtantur, tam Neoterici quam antiqui ſcriptores, ut *Joel, Schenckius, Foreſtus, Regius, Tulpius & alii*, nec

mirum

mirum hoc videri debet, nam concipi non poteſt quod tantus tamque irregularis ſanguinis & humorum motus fieri poſſit, abſque depulſione particularum craſſiorum, (quæ obſequi neſciunt motui rectilineo ſubtiliorum) ad latera; quæ per conſequens, extra ſphæram intra quam moveri ſolebant, notabiliter ejectæ, mixturæ faciunt turbationem, in qua conſiſtit febris.

§. XVIII.

Ardor adeſt, quoniam multa ſalia tunc abundant, quod ex ſiti & aliis ſymptomatibus manifeſtum eſt, quæ præcipitata, & hinc inde partibus nervoſis & membranoſis inhærentia, vellicationem, vel contremiſcentiam fibrillarum omnis generis extraordinariam efficiunt.

§. XIX

Accedamus nunc ad explicationem ſymptomatis illius abſtruſiſſimi, metus nempe liquorum & rerum fulgentium: ratio ergò cur tale fermentum præciſè producat metum hunc, deducenda eſt ex determinata fermenti iſtius conſtructione, à qua determinati motus in ſanguine, humoribus & ſpiritibus, oriuntur, ſed in quo determinata illa virtus tanquam res altioris indaginis, conſiſtat, nemo hactenus ſcire potuit, verum ita à primordiis facti ſumus, ut diverſi motus in corpore diverſas in noſtra mente excitent cogitationes, ut ex frictione laterum & plantæ pedis titillationem, punctura nervi dolorem, & omnibus reliquis ſenſibus per ſolam motus varietatem, varias ſenſationum cogitationes in nobis excitantibus quam manifeſtiſſimum eſt: ſic à Tarantula demorſi muſicæ ſono juvantur, qui vero à cane rabido læſi ſunt, liquidorum uſu & aſpectu valde læduntur, nec abſurdum eſt ſtatuere, quod deglutiendi maxima difficultas, magnam liquidorum averſationem producat, utpote quæ majorem, ægro pariunt anguſtiam: Similiter res fulgentes radios ſolares vividè verſus oculum repercutiendo, tantum motum communicant ſpiritibus animalibus, ut dolor capitis augeatur; adeoque & eas jure merito fugiunt Hydrophobi.

§. XX.

Reliquorum ſymptomatum explicationem, tanquam per ſe ſatis claram ſicco pede præteribimus; quomodo poſt febrim oriatur ſitis dicam: ſcilicet in ſanguine abundant multæ particulæ ſalinæ & humidæ deficiunt: emaciatur corpus, quia alimen-

ta neque potulenta aſſumere cupiunt, hæc inquam per ſe ſatis nota ſunt.

§. XXI.

Prognoſin quod attinet, ſemper mala eſt & homines interficit, vel per ſe vel per alios conſenſu ſuperiorum, ne affectus contagio ſuo ad plures proſerpat, imo *Ætius* fatetur ſe neminem curatum vidiſſe, ſed hoc intelligendum de iis, qui jam in liquidorum metum & abominationem inciderant, difficultas enim curationis præcipua eſt, quod ægri medicamenta aſſumere nolint, ſpes itaque hic in anguſto eſt; attamen non plane deſerendus æger, ſed potius in principio laborandum ut venenum tollatur, & etiamſi metus liquidorum jam adſit, tentandum tamen eſt aliquid præſertim ſi mens ipſi etiamnum conſtet, an rationibus eo forſan poterit adduci, ut formidatis liquoribus utatur in medelam. *Salius* curioſus harum rerum indagator teſtatur, ſe vidiſſe, aliquos à cane rabido demorſos, in quibus nulla unquam fuit delirii ſuſpicio, imo inquit perſuaſi ad bibendum, dicebant, claudite oculos noſtros ne videamus & omni conatu injicite intra os aquam.

§. XXII.

Quod autem vulgo putant tales ſuffocari neceſſum eſſe, impoſitis lectis pulvinaribuſque, id plane obſoletum eſt, cum omnes Hydrophobi, per tres tantum ſuperſunt dies, ac veluti ſtrangulationis vel ſuffocationis modo miſeram finiunt vitam, ſecundum *Stalpart vander Wiel*, *Fabritium Hildanum* antecitatum, *Tulpium* & alios.

§. XXIII.

Tentanda reſtat (prognoſi præmiſſa) curatio quæ incipienda eſt à partis affectæ ſcarificatione cum cucurbitulis, deinde egregiè pars eſt abluenda urina ſani alicujus hominis, aut aqua theriacali camphorata, vulnus diu erit apertum ſervandum & ad minimum ad quadraginta vel plures dies juxta *Sennertum*, ad 3 menſes commendat *Joël*, nam ſi nimis cito, minus tuto, occluduntur vulneris labia, & metus eſt ne luxum in ſtabula includas, interim imponi poteſt, Cataplaſma conveniens v. gr.

ex rad. Ariſtoloch. rotund. angelic. ver. Bryon. petaſitid.
Herb. ſcord. phellandr. ruta abrotan. marrub. &c.

Coq in ſ. q. aq. marin. ſub finem decoct. addend. micam panis alb. & ferment. cereviſiæ aut fæcis vin. q. ſ. ad confect. cataplaſm. cui refrigerato add. aq. theriac. camphorat. &c. Certum autem

tem-

tempus quando conſolidari debeat vulnus, vix præſcribi poteſt, ſed ratione vulneris & circumſtantiarum variare debet, Cavendo, ne eſchara diutius relinquatur, ſed ſubito & aptè eſt excidenda, ne fortè portio aliqua veneni ſub ea lateat, quod poſtea iterum ad ſanguinem deferatur.

§. XXIV.

Interea Diaphoretica & ſudorifera ex ſalibus & mineralibus conflata, non ſunt negligenda, ut non tantum ad ſanguinem penetrent & ibi humores acidos corroſivos corrigant, ſed ut omnes partes ſolidas etiam pervadant, & inde venenum latens educant; quamobrem piæ memoriæ Celeberrimus Dominus *Craanen*, in praxi ſua reformata ſal vol. viperinum legitimum (quod ob ſummam ſuam volatilitatem omnes corporis poros permeat) medicamentis immiſceri poſſe, commendat.

§. XXV.

Si vero patiens ſit robuſtus & ab operatione non abhorreat, omnium optima & tutiſſima via eſt adhibere cauterium actuale; quod domat quaſi & conſumit virus vulneribus inhærens, & efficit ut ulcus aliquamdiu apertum maneat, & ſic virus effluat, hac inuſtione peracta, ut ſupra innui, danda opera ut eſchara feſtinanti manu amoveatur, & venenum per ulcus evacuari queat, nam morbus hic quoniam eſt acutus, & venenum contumax, idcirco nec lenta remedia nec ſegnes expetit medicos.

§. XXVI.

Vulgus imprimis ordinario, ſuperſtitioſo tamen (ut habeo) remedio, clave nimirum quam dicunt *S. Huberti*, tanquam ſacra anchora, utitur, non quidem malè, quoniam, ut præcedenti paragrapho dixi cauterium hoc in affectu prodeſt, ideo clavis illa modo ſatis ignita, & profundè ſatis applicata, (plus enim peccaverit ſi minus quam ſi magis profundè aduſſerit Chirurgus, uſtionem enim ſuperficialem nequaquam ſufficere Exemplum habes *obſ. 86. cent. 1. obſ. Chirurgic. Fabrit. Hildan.*) Si & parum adaptata, aliquando malum hoc reſtituere poteſt, quoniam cauterii vicem tunc gerit, ſed vulgus in eo errat, plurimi enim ſibi perſuaſum habent, clavem hanc ob ſanctitatem, neſcio quam, plurima quaſi præſtare, ſed certum etiam eſt clavem aliam æque ac illam in defectu cauterii cum fructu in uſum vocari poſſe, ſi extremitas ejus à forma cauterii modo non multum abludat, verum

cauterium actuale ſecundum artem fabricatum ſi haberi poteſt eligimus.

§. XXVII.

De venæſectione hic etiam aliquid dicendum erit, & ſanguis pro ratione virium educi poterit, quam V.S. non tanquam totalem curam effecturam inſtituo, ſed ut nimius motus & volatilitas ſanguinis aliquo modo diminuatur, & ſic delirium quodammodo tollatur, & malum in ſanguine hærens, melius corrigatur, V.S. hæc pro neceſſitate iterari poterit, duro enim nodo durus adhibendus eſt cuneus: alvum quod attinet eam vel arte vel natura reſpondere oportet.

§. XXVIII.

Subitaneam immerſionem in aquam etiam multum poſſe exempla teſtantur, nec ſine ratione quidem, nam ex ſubitanea illa alteratione fermentum ex corpore eliminari poteſt, vel etiam ſalſedo aquæ acidum corroſivum fermenti Hydrophobici aliquo modo infringit, vel ſi in piſcinam injiciantur, dicendum eſt, quod particulæ flexiles & hamoſæ venenum illud deleant, ita ut vires ſuas exercere nequeat: poſt immerſionem ſudorifera egregia conſtantia & potenter acidum abſorbentia, in uſum vocanda ſunt.

ut ex: gr:

℞. Terr. Sigill. gr. xij.
Bezoard. min. ʒß.
Sal. abſynth. gr. xvj.
Nitri puri ℈ß.
Camphor. gr. iv. M. F. pulv. vel cum
Theriac. veter. ʒj. F. Bolus.

Aliqui etiam valde prædicant virtutes medicamenti iſtius *Galenici*, quod antidotum Æſchionis dicitur, & componitur.

ex Thure part. j. Gentian. v. ciner. cancr. marinor. x.

v: gr:

℞. Thuris ʒj.
Rad. Gentian. ʒv.
Ciner. cancr. ʒx. F. pulv. cujus cochlearia duo cum liquore convenienti id eſt aq. centaur. ſcord. vel alia aqua quotidie ſemel vel bis exhaurienda præbeantur.

§. XXIX.

§. XXIX.

Magnopere hoc in affectu commendatur Antidotum *Palmarii*, cujus deſcriptio videatur apud *Regium*, & *Stalpart vander Wiel pag. m.* 450.

§. XXX.

Vix etiam laudibus ſufficientibus extolli poterit, potio Leuchtenbergica Duysburgæ ſatis nota, verum deſcriptio accurata hujus potionis, dui cognita ſolummodo fuit familiæ de *Leuchtenberg*, atque hinc denominationem accepit: vires ejus defendit & immenſum deprædicat, *Daniel Danielis* Medicus apud Dusburgenſes clivorum celeberrimus, qui aſſerit hanc potionem ſemper felici cum ſucceſſu adhiberi, ſi ſatis mature & ſatis bene adhibeatur, & inuſtionem ferri candentis tunc non requiri, nam per occultam antidotariam vim perfici hanc curationem ſcribit in Epiſtola quadam ad *Fabrit. Hildan.* cujus verbum unum aut alterum breviter hic appoſui. *Plurimi enim ſuperſunt*, inquit, *qui ex uſu potionis illius, jam multis elapſis annis etiam nunc ſani vivunt; potionis autem uſus eſt, per novem continuos exhibere dies tria cochlearia trinis vicibus indies, nimirum jejuno ſtomacho in ipſo ſolis ortu, meridie & veſperi ſolis occaſu, deinde locus affectus & vulnera quotidie ter diligenter ſunt abluenda, & petia linea potione illa imbuta, vulneribus externe applicanda, donec vulnera coaluerint & cicatricem obduxerit, nec memini ullum fuiſſe, qui hoc ita juſte habito proceſſu occubuerit.*

§. XXXI.

De diæta tandem, quæ ad morborum ſublationem etiam contribuit non multis dicam, niſi quod ſex rerum non naturalium regimen recte obſervari debeat, aër ſit temperatus; & potus, non nimis ſpirituoſus ne delirium & cephalalgia augeantur, ſed cereviſia ſit tenuis, cibus ex juſculis & carnibus vervecum, & vitulorum compoſitus.

§. XXXII.

Si vero his vel ſimilibus medicamentis tam internis quam externis curatio inſtituatur, & medicus ſatis maturè accerſitus ſit; non dubito, quin morbus ad optatum poterit perduci finem.

CO-

COROLLARIA.

I.

Neque Chylum neque bilem ab inteſtinis, per vaſa meſaraica deferri ſtatuo.

II.

Vaſis placentæ ſanguiferis cum uterinis nullum eſt commercium.

III.

Multus uſus volatilium non raro peſſimus eſt.

IV.

Febrim in aucta ſanguinis circulatione conſiſtere negamus.

V.

Urina per ſolos renes non ſequeſtratur.

VI.

Dari vaſa lactea in inteſtinis craſſis probabile videtur.

FINIS.